



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCLXXVII. Ioannis Papae VIII. Ad Carolvm Imperatorem. Petrum & Zachariam legatos ad eum mittit, causa corrigendi mala, quae se, eo regnante, perpessum queritur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

dam veniret, deferens secum accusatores & testes : quatenus his delatis negotium Deus dedit inter alia canonice finissemus. Qui pro se sui cardinis Dominicum presbyterum, & Ioannem diaconem misit, transmittens cum illis scriptas accusationes : quibus scriptis coram sancta Synodo legitimis ; ad ea Deus dedit respondit, & se incestum, atque nefarium commisisse negavit ; sed coram omnibus se innocentem ostendit, & diuini mundanique iuris auctoritate se coniugatum probauit. Quapropter vna cum sancta Synodo illum absoluimus, & eum communioni nostræ recepimus, & Mariam coniugem suam illi vxorem esse legitimam firmauimus, cum benedictione Dei omnipotentis, & nostra : & si praefatus archiepiscopus, aut ministri eius in rebus suis suorumque hominum inuasionem, & fortiam facere voluerit ; vos Rauennates pro ipso illum in suis defendite. Data ut supra, indictione xiv.

## EPISTOLA CCLXXVII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM IMPERATOREM.

Petrum & Zachariam legatos ad eum mittit, causa  
corrigendi mala, quæ se, eo regnante,  
perpeccum queritur.

*Carolo imperatori.*

**Q**VIA nunc eadem omnibus vobis, iam Deo fauente, per humilitatis nostræ officium regnantibus, ubique patimur, & sustinemus aduersa, quæ ante vestræ imperialis gloriae prouectionem nos sustinuisse quotidie recordamur : his apostolatus nostri apicibus directis dignum duximus Augustali serenitati vestræ pro utilitate, ac multiplici necessitate ecclesiæ vniuersalis, cui per Dei gratiam præsidemus, sugerere, atque cognitum omnimodis facere, quoniam secundum commune placitum atque decreatum direximus Petrum insignem palatii nostri super ista delitiosum consiliarium nostrum, communemque fidellem, cum Zacharia venerabili episcopo, & bibliothecario sedis nostræ, pro recipiendis de omnibus, quæ hactenus perperam acta fuerant, iustitiis, & emendationibus, ac

pro totius terræ sancti Petri salute , pristinaque restitutio-  
ne : quatenus in præsentia missorum vestrorum ea , quæ  
necessario emendanda & corrigenda erant , iure legitimo  
corrigerentur , vt tam diuturnum malum finem acciperet .

## EPISTOLA CCLXXVIII.

## I O A N N I S P A P Æ V I I I .

A D R A V E N N A T E S .

Præcipit vt se a Rauennatis archiepiscopi in Synodo ex-  
communicati communione separent , quoisque  
eum absolutum cognouerint .

*Omnibus venerabilibus sacerdotibus & dero atque uniuersis  
iudicibus populoque Rauennati .*

**N**osse volumus fidelitatem & vnanimitatem vestram  
quia Romanum archiepiscopum vestrum pro peri-  
ri reatu manifeste pollutum , aliisque nefandis criminibus  
impeditum , & idcirco ad Synodum pro sui purgatione vo-  
catum , occurrere contemnentem ; omni ecclesiastica com-  
munione vna cum sanctæ Synodi decreto priuauimus ,  
quoisque suam specialem studuerit nobis exhibere præ-  
sentiam . Quamobrem his apostolatus nostri literis vobis  
iubemus , & ex auctoritate Dei , & beati Petri apostolo-  
rum principis , & nostra præcipimus , vt omnes vos ab il-  
lius confortio & communione modis omnibus separetis ,  
donec per nostræ apostolicaæ miserationis officium , ab hu-  
ijs excommunicationis vinculo eum cognoueritis abso-  
lutum existere . Quicumque autem ei ante audientiam , &  
absolutionem nostram aliquatenus communicare præ-  
sumperit , eodem excommunicationis laqueo , secundum  
sanctorum patrum institutionem , maneat irretitus , vs-  
que dum a nobis fuerit misericorditer absolutus . Data  
mensis Octobris die quarta , indictione \* duodecima .

\* decima-  
quarta .